347

ACCLAMATIO NUPTIALIS,

Quam

NOBILISSIMO CONSULTISSIMOQUE

VIRO

GERHARDO THOMAS,

REIPUBL. THOR. CONSULI, CAMERARIO & SCHOLARCHÆ,

ET

NOBILISSIMÆ LECTISSIMÆQUE VIRGINI

BENIGNÆ,

VIRI

GENEROSI ET NOBILISSIMI

GEORGII ERNESTI LICHTFUSSII,

FILIÆ,

In Nuptiis A. R. M DC XC. die 8. Augusti solenniter celebratis

gratulabundus offerre voluit & debuit

Subjectissimus

HENRICUS REICHEL, Gymn. Thor. Al.
Mariæb. Pruss.

HEûs immortales Musæ, sacra Numina montis
Aonii, castis qvæso favete metris!
Qvæso favete metris! Lucem nam Phosphorus orbi
Protulit optatam sacrificamqve diu.
Lucem qvâ fas est, mœroris nube repulsô,
Lætitiæ veræ mutua signa dare.
Doctus Apollo lyram præfert, sua dona canistrô
Alma Ceres, tandem dulcis Iächus adest.
Qvid? Charites ipsæ manibus dant jubila læta,
Hancqve diem meritò nos celebrare jubent.
Et certe poscunt sibi festa hæc gaudia tanta,
Cum nec opem thalamo pronuba Juno neget.
Hymen conjugii Sponsor, tædæ Auctor & Obses,
Non exoratus vult duplicare decus.
Qvis rogo, qvis tantam nobis inhibere laborat
Lætitiam? nullus, nam stabilita manet.
Sis Eris ergo procul, qvibus est concordia curæ
Et mansura comes, sis Eris ergo procul.
Nec minus & Momi mordaces cedite famæ,
Nam sic florebit sicqve perennis erit.
TU verò Fautor, Mecœnas atqve Patrone,
TU Patriæ fulcrum, TU Salus ipsa Scholæ,
Vive diu, felix, sospes, superaddat & annis
Omnipotens Rector prospera qvæqve tuis.
Stet sIne Labe thorVs, VIreat, sIt Vt arbor In horto,
ConIVgII fInIs sIt ManeatqVe DeVs.

THORUNII,
Imprimebat JOHANN-BALTHASAR BRESLERUS, Nobil. Senatus & Gymnasii Typographus.